

Q. K. 110, 17

II h  
945

SACRI ROMANI IMPERII  
INCLYTAE LIBERAEQVE  
REIPUBLICAE LVBECENSIS  
CONSVLVM PRINCIPI  
MAGNIFICO ET ILLVSTRI DOMINO  
DOMINO  
DANIELI HAECKS  
IVRIS VTRIVSQVE DOCTORI CELEBERRIMO  
AVSPICIA NOVI HVIVS ANNI  
OBSERVANTISSIME GRATVLATVR  
PROLVDENDIQVE CAVSSA  
VERBA QVAEDAM BONIFACII  
OTIA IVLIA  
INNVENTIA  
ILLVSTRAT

CHRISTIANVS PETRVS POLCHOW  
REPETENTIS REGII THEOL. MVNERE IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA  
FVNGENS ET SOCIETATIS TEVTON. HELMSTADIENSIS  
COLLEGA.

GOETTINGAE

EX OFFICINA SCHVLTZIANA, CVR. F. A. ROSENVVSCH.  
CAL. IAN. 1767.





LIBRARY OF THE  
UNIVERSITY OF  
CAMBRIDGE  
COMMUNICATED BY  
DANIEL HARRIS





VI  
QVOD mihi ipsi dignum & acceptum videtur, quodque ad  
omnes homines bonos & gratos religiosa antiquitas arbitra-  
ta est pertinere, parentibus patronis & fautoribus anni cuiusque sub  
auspicio pii atque deuoti animi significandi officium eo lubentius &  
suscepi & nuncupatis laetis ardentibusque votis pro TVA, MAECE-  
NAS CONSVLARI DIGNITATE ILLVSTRIS! incolunitate sol-  
ui, quo magis hac publica salus ciuitatis & Lubecensis & litterariae  
continetur. Equidem sane aut summam animi duritiam haberem,  
aut pessimae ignorantiae essem, si TE, quem Reipublicae patrem &  
tutorem esse summum & benignissimum numen voluit, quem patriae  
decus atque columnen, quem orbis eruditi Seruatorem esse bonus quis-  
que & aequus & rerum peritus Senatus Populique assensu toties iudi-  
cauit, si TE TVAque merita conspicua non Quiritibus TVIS solum,  
sed etiam a viris magnis laudata & omni posteritati monumentis aeter-  
nis mandata possem recordari, ne mentem meam caperet doctrinae  
TVAE, sapientiae, iustitiae, humanitatis denique pia admiratio.  
Sed si ad vitae meae studiorumque meorum rationem animadu-  
erto, TE haec nutriuisse, illam ornasse, sentio. Quae quum ita sint,  
vt nominis TVI gloria immortalibus, in ornanda amplificandaque  
Republica, cui praees, laboribus, pro salute patriae, curis, pro inco-  
lunitate orbis litterati, & inprimis sacri, vigiliis parta diuersas gen-  
tes





tes terrasque excellentibus meritis TVIS in cultum admirationemque TVI traducat; ego vero, TE vitae meae rationem paternam habuisse, TE studia mea omni modo & insigniter ornasse, TE beneficia multa & maxima mihi contulisse, omni pietatis sensu ductus fatear: non solum existimabam, fore, vt ingratae mentis nota non immerito mihi inureretur, si, quaecunque commoda se occasio sisset, animum meritorum beneficiorumque in me TVORVM neque ignarum neque inmemorem significandi, ad eam non summa cum alacritate accederem, verum etiam omnium minime me continere hodierno die potui, quia inter tot omnium bonorum faustas acclamaciones in societatem gaudii publici venire, TIBIQUE CONSVL MAGNIFICE ET ILLVSTRIS! venerationis, qua TE prosequor, verecundissimae publicum quoddam documentum offerrem. A TE autem, morem, de quo dixi, antiquum flagrans obtinere, enixissime peto, vti per occasionem noui huius anni TIBI, MAECENAS! munusculum ad tenuem conditionem meam, vitaeque, quod sequor, genus accommodatum religiosa manu me finas tradere; meque vitae TVAE prosperitatem, fortunam, iucunditatem, ac consiliis TVIS, curis, rebus omnibus a TE gerendis faustum quemque euentum obseruantissime apprecari patiare. Quod praeclare autem Cicero, prouerbio edoctus, de malis omnibus praecepit, memoriam eorum, si praeterita, superata ac dispulsa ea videmus, iucundam esse; id sane de rerum a priscis communis patriae nostrae incolis gestarum eorumque rituum cum sacrorum tum ciuiliu memoria, si meum quidem sensum sequi licet, dici posse, mihi videtur. Nam quum ex hoc antiquitatis studio intellexerim tantum in me vtilitatis & delectationis redundare, quantum percipere solent omnes, quibus rei sacrae administratio & cura

com-





commiffa aut committenda aliquando est, fi in illud providentiae di-  
 vinae humanarumque rerum speculum penitus introspicere, atque ca-  
 liginosae superstitionum errorumque orbis antiqui noctis origines &  
 viciffitudines cognoscere capiunt: laborem neque inutilem neque in-  
 gratum nie suscepiurum esse, iudicavi, si ex omni antiquitatum Ger-  
 manicarum ambitu argumentum quoddam ad scribendam dissertatiun-  
 culam eligerem, electum animo mecum volutarem ac perpenderem,  
 volutatam delinearem, delineatum magis elaborarem & amplifica-  
 rem, elaboratum denique TIBI, CONSVL MAGNIFICE ET IL-  
 LVSTRIS! réfúm historiarum peritissimo acutissimoque iudici, esse  
 sacrum iuberem, quo sperare possim, futurum esse, vt, quod TIBI  
 trado, pietatis pignus non propter doctrinae copiam, aut elegantiam  
 scriptionis, quibus optimis operum eruditorum virorum ornamentis  
 hic libellus desituitur, sed, quoniam illud ex eo studiorum genere,  
 quo maxime delectaris, desumptum est, TIBI quodam modo pro-  
 betur.

\* \* \*

DEOS, memoriae proditum est a PLATONE 1), *genus humanum,  
 laboribus natura pressum, miseratos remissionem laborum ipsis statuiffe  
 sollemnia festa.* Neque est, cur miremur, quare Philosophus, qui  
 argute multa, quae de virtute praeceperit, solo rationis lumine du-  
 ctus, disputavit, quoniam numero hominum ficta numina colentium  
 adscriptus erat, hunc animum induxerit, vt ea Deorum beneficio &  
 providentiae singulari accepta ferenda esse existimauerit, quae neces-  
 sa-

1) de legibus Lib. II. Opp. 1652.  
 Francos. edit. pag. 787. Θεοὶ οὐκ  
 τείραντες τὸ τῶν ἀνθρώπων ἐπι-  
 πρὸν πεφυκὸς γένος ἀναπαύλας

τε αὐτοῖς τῶν πόνων ἐτάξαντο  
 τὰς τῶν ἐργῶν ἀμειβεῖς τοῖς  
 θεοῖς.







faria esse, ut instituantur, suis quemque sensus docet. Nam, ut nihil dicam de cultu Dei publico, quem statutis diebus peragi oportet, quoniam, ut Poeta recte:

*Quod caret alterna requie durabile non est;*

atque, ut experti scimus, quae nimis aut continuis laboribus debilitata, aut semel amissa est, valetudo aut nunquam recuperari potest, aut, si recuperetur, infirmior tamen, minusque constans & grata, cernitur: in hoc naturam, qua ipsi, ut ad felicitatis omnis obtinendae, sic ad vitae conservandae studium trahimur, debemus ducem sequi & vitam rectamque valetudinem tueri iusta intermissione negotiorum; tum molestiarum patientia ac duritie, tum grata laborum operumque mutatione, tum quiete refectioneque ipsa corporis viriumque integritati consulere. Quemadmodum autem celeberrimus ille Academiae conditor, qui elegantissimam rerum philosophicarum scientiam, non sola institutione *Socratis, Euclidis, Cratylis, Hermogenis*, summorum istius aetatis virorum, consequutus est, sed modesta rerum, quae a doctoribus acceperat, haesitatione, oppositarum sententiarum non praconceptis opinionibus, sed animo veritatis amante discendique cupido diiudicandarum, studio, vituperatione doctrinarum, quae non satis gravibus argumentis sibi probari videbantur, electione eorum, quae optima verissimaque esse, intellexit; **PLATO** scilicet non eos esse dies festos ad laborum remissionem institutos, qui possint ubique & ab omnibus, qui ratione uti volunt, quam utiles, iusti & necessarii sint, cognosci, sed qui a Deorum voluntate & legitima legum ferendarum potestate repetendi sint, iudicavit: ita in hoc etiam institutionum humanarum genere gentes septentrionales, quas inter **PLATONEM** nullum, nullum **SOCRATEM** caput extulisse, nullum faniora horum Philosophorum praecepta tenentem vidimus, cum **PLATONE** eandem originem





ginem finxiffe, constat. Permultum vero se debere OTHINO, quod is, quum cultum idololatricum omnem praescripisset 2), tria sollempnissima festa, exoptatissimaque otia iussisse celebrare quotannis dicatur 3), illae, de quibus dixi, gentes, genio indulgentes, epulis, tripudiis, & comotationibus operam dantes, fatis luculenter declararunt. Quum enim dies sacros institueret, alteros, in quos, oblati incunte hieme THORO ob largas anni messes sacrificiis eucharisticis illustres, sin nomina festorum a Deo populo olim suo *περισσοισιν* indictorum, MOSE interprete, transferre licet ad sacra Gentilium, appellatio *τοῦ ἡμετέριου* cadere videtur, alteros pro impetranda victoria *sibi* celebrandos ea anni aetate, qua

Diffugere niues, redeunt & gramina campis,

Arboribusque comae:

en! honoris cultusque FREYAE vxoris sollicitus, eiusdem generis dies obscuros, nouus dum voluitur annus, Gothis & Cimbris & Nor-

2) Sic enim SAXO: Olim, "inquit, quidam magicae artis imbuti THOR, videlicet & OTHINVS alique complures miranda praestigiorum machinatione callentes, obtentis simplicium animis diuinitatis sibi fastigium arrogare ceperunt. Quippe Noruegiam, Sueciam ac Daniam vanissimae credulitatis laqueis circumuentas ad cultus sibi pendendi studium concitantes praecipuo ludificationis suae contagio resperferunt. Adeo namque fallaciae eorum effectus percerebuit, vt in ipsis caeteri quandam numinum potentiam venerantes, eosque Deos vel Deorum complices autumantes, veneficiorum

"sollemnia vota dependerent, & errori sacrilego, respectum sacris debitum exhiberent. Quo euenit, vt legitima feriarum series apud nos eorundem nominibus censeatur, cum ipsis Latinorum veteres siue a Deorum suorum vocabulis, siue a festo planetarum numero, nuncupationem singulatum adaptasse noscantur." Eandem sententiam magis adhuc confirmauit OLAVS M. *Hist. Septentr. Lib. III. Cap. V.* STURLESONIUS Part. I. *Chron. Norueg. Num. 1. pag. 4. sqq.*

3) vid. STURLESONIUS Part. I. *Chron. Noru. Num. 1. pag. 7.*





Noruegis & omnibus gentibus, quibus de festis diebus otisque instituendis leges sancit, istis superaddere allaborat 4). Quemadmodum vero de his singulis festiuitatibus exponendi nunc quidem neque locus neque consilium nobis suppetit; ita in praesenti ea tantum sectabimur, quae ad commemorandam & enarrandam ultimam, *Iuliam* scilicet, a BONIFACIO notatam, facere videbuntur. Nam quum is maxime id agat in *epistola ad Zachariam P. R. missa* 5), ut quaerat, quidnam moris sit in Ecclesia Romana de ritibus variis; praesertim omni consilio ostendit, quantum consuetudo Christianorum Romanorum circa anni auspicia, a nonnullis excitata, momenti habeat, ad tolerandas excusandasque Gentilismi maculas. *Carnales homines*, inquit, *idiotae Alemanni, vel Barioarii, vel Franci, si iuxta Romanam urbem aliquid facere viderint ex his peccatis, quae nos prohibemus, licitum & concessum a sacerdotibus esse putant, & nobis improprium deputant sibi scandalum vitae accipiunt. Sicut affirmant se vidisse annis singulis in Romana urbe & iuxta Ecclesiam in die vel nocte, quando Cal. Ianuarii intrant, paganorum consuetudine choros ducere per plateas, & acclamationes ritu gentilium & cantationes sacrilegas celebrare, & mensas illa die vel nocte dapibus onerare; &c.* Vniuersa igitur opera nostra in eo versabitur, ut praemissis obseruationibus de ratione denominationis, de tempore, de causis horum otiorum Iuliorum, in quae narratio BONIFACII incidit, ritus sollempnes ipsi diebus festis obseruandos, BONIFACIO praeunte, recensamus.

ATQUE ut inde disputatio nostra proficiatur, vnde omnis festiuitas nomen sortita est, verbum *Iuel*, quum in lingua Succorum *poculum* denotet

4) vid. STURLESONIUS l. c. Part. III. Num. 3. pag. 77.

5) Exstat illa apud NIC. SERARIUM *Rev. Mogunt.* Lib. III. p. 377.





notet 6), pariter atque in vniuersum *bilaritatem* 7), quum conueniat cum vocibus *Io* & *Iu*, in quas gaudium veterum Celtarum cum inter sacrificia, tum inter conuiuia prorumpere solebat 8), comparari posse cum *Ἰούλοις*, hymnis Cerealibus 9), ad Hebraeorum *חַיִּיבֵי* proxime accedere 10), aut a *Iulio* 11), Dictatore Romano originem ducere videatur, dici non potest, quantum exercuerit ingenia doctorum, interpretantibus aliis festum, quo mox erat ex

*Amphoris*

*Promptis bibendum, mox pede libero*

*Pulsanda tellus;*

aliis otia, in quibus secundum illud *Eratosthenis*:

*Δενδαλίδαε τεύχουσα καλαῖε ἤεδεν Ἰούλουε*

*Cereri* scilicet,

*Quae primo docuit turgescere semen in agris,*

*Falce coronatas subsequitque comas;*

aliis dies non minoris sollempnitatis, qua olim Iudaei concelebrarunt illos, qui *בְּכָרֵן הַיִּיבֵי* indicebantur, aliis festiuitatem, qua memoria Iulii Caesaris reolebatur. Sed, vt in hac summa opinionum coniecturarumque diuersitate audeamus iudicium nostrum interponere, veterior ac rectior sententia esse eorum videtur, qui vocem *Iuel* indicare vo-

*eram,*

6) vid. OLAVS VERELIUS in notis ad librum *Herwarar Saga* p. 56.

7) vid. SPEGELIUS in *Glossario Sueo-Gothico* p. 207. & 613.

8) Haec est sententia SPERLINGII, in libello *de nomine & festo Iuel*. p. 16 & 17. his verbis utentis; *Septentrionales in hoc festo Iol ipsis dicto Diis suis acclamabant Io & Iu; & paucis interpositis; Ex unica illa vocula Io vel Iu tam magnum festum & celebre narium est paganis septen-*

*trionalibus.*

9) Exornat hanc sententiam IOH. ISAAC. PONTANUS in *Epistola ad Stephanium*, quae in Sylloge epistolarum edita ab ANT. MATHAEO est *quadragesima*.

10) Ita opinantes inducit SPERLINGIUS l. c. p. 59.

11) vid. IOHANNES MAGNUS *Hist. Suec. Libr. IV. Cap. 13. EVCHEMANNUS Libr. V. Rerum Scotticarum* p. 125.





*tam* ipsamque festiuitatem *Iuliam* eam fuisse docent, qua solem redeuntem nouumque annum orbis suis auspicantem cum gentibus terrarum singulis 11) Septentrionis populos effulsissimis in omne laetitiarum genus animis exceperunt vetustissima rerum gestarum monumenta produnt tum aliorum 12) tum ipsorum 13). Nam non sum ego is, qui crederet, omnia, quae ad linguam & ritus Celticorum populorum pertinerent, ex Iudaea, aut, quemadmodum ABRAHAMVM HINKELMANNVM, quum praefaretur ad *Coranum*, quem edidit, saepe colloquentem audiimus, ex Arabia esse repetenda; qui ignoraret, Caesarem neque debellasse neque vicisse 14) vnam gentes, apud quas hoc festum iam longe notissimum ante bella Romanorum cum Gallis & Germanis gesta, priscaque ab annis maxime sollemne fuit; aut sibi persuaderet, nationes, quae antiquitus pro libertate semper tanquam pro focis & aris pugnarunt, victori, a quo subactas se viderunt, quaedam sollemnia instituisse; qui denique, *Ἰούλιος*, si qui sint a prisca

in-

11) AVGVSTINVS Serm. VII. in Nat. Dom. T. V. p. 620. edit. Benedict. *Habeamus, inquit! fratres sollemnem istum diem, non, sicut infideles propter hunc solem, sed propter eum, qui fecit hunc solem.* Vid. caeterum Ven. ERNESTI FRID. WERNSDORF Progr. de *origin. sollemniis natalis Christi ex festiuitate nazalis inuicti.*

12) TACITVS de moribus Germanorum cap. XXVI. Germanos, refert, annum a bruma incepisse inter sollemnissima conuiuia. Idemque de Gothis Danisque narrat PROCOPIVS Libr. II. de bello *Gorbico* p. 441.

13) Id moris fuisse, ut hi dies sollemniter celebrarentur, apud Anglo-Saxones docet BEDA de *ratione tum-*

*porum* Cap. XIII. & THOMAS MARESCHALLVS in *Observationibus aduersionem IIII. Euangel. Goth. & Anglo-Sax.* p. 520. 521. apud *Sueogothos* IOH. LOCCENIUS Antiq. Sueogoth. Lib. I. cap. 5. HAG. SPegelivs in *Gloss. Sueogothico* p. 207 & 613 apud *Islandos* GVD. ANDREAE Lex. *Island.* quibus addantur OLAVS WORMIVS *Fast. Danic.* Libr. I. cap. 7, & 14. & IOH. BAZIVS *Histor. Eccles. Suec.* p. 57.

14) STRABO Libr. VII p. 249 edit. Cafaubon scribit, *ultra Albim obiecta Oceano sua aetate (vixit autem Augusto & Tiberio Imp.) omnia incognita fuisse Romanis,*





incolis Germaniae, Sueciae, Noruegiae, Daniae contenti, in *Iuliam* magis, quam in *Tbori* festiuitatem cadere, duceret atque existimaret. Neque illa me permouet sententia, quae in eo vertitur, vt erudiamur, *ἔτυμον* huius vocis deprehendi adhuc in lingua Suecorum, neque illa, quam SPERLINGIVS defendendam sibi sumfit, vt alterutram ratihaberem & assensu meo approbarem. Non est enim, cur dubitemus, reliquos festos dies minoribus otiiis aut voluptatum illecebris rarioribus consecrassse gentes, aut votiuas illas acclamationes *Io* & *Iu* in festiuitatibus reliquis non totidem atque in his auditas esse, vt sollempnia, de quibus est disputatio, ab his ipsis nomen habeant. Quamobrem nihil videtur vero similius, nihil certius esse, quam denominationem hanc ex verbo *Giul*, quae huius apud Gothos Britannosque valoris fuit, vt *rotam* exprefferit 14), conflata esse. Non deueniam ad *codicem argenteum* 15), in quo ab VLFHILA, vt plerumque putatur, non solum vox *rota* per *Giul* exprimitur, sed sol etiam *Iul* dicitur; nihil dicam de *rotae* signo die XXV. Decembris superimposito in scipione Runico, qui, teste LOCCEONIO, 16), *Dictionario Noruegico* illatus est; praetermittam illud etiam, de quo antea dixi, id esse creditum a maioribus, vt existimauerint, circa terram in medio mundo affixam fere atque aeterna quiete immotam solem se voluere cursu tam sapienter ordinato, tamque definitis orbitis, vt Decembre

men-

14) Testis nobis sit IOH. LOCCEONIVS in *Anriq. Sueogoth.* L. I. Cap: V. p. 34.

15) Liber, cuius paginam 520 inuenio, ita inscriptus est: *Quatuor D. N. Iesu Christi Euangeliorum versiones perantiquae duae, Gothica scilicet & Anglo-Saxonica: quarum illam ex celeberrimo codice argenteo nunc primum*

*depromsit* FRANC. IVNIVS, hanc autem ex codicibus manuscriptis collatis emendatus recudi curauit THOMAS MARESCHALLVS, Anglus, cuius etiam obseruationes in *utramque versionem subnectuntur* — opera eiusdem FR. IVNII Amstel. 1671.

16) l. c. p. 34.





menſe terram ille relinquere, Ianuario reuertere videatur; non vtat ne auctoritate quidem, licet ſumma ſit, BEDAE 17), WORMII 18), FONTANI 19), BAZII 20), SCALIGERI 21), aliorum. Nam ſi quis *primum* cogitat, tantam ſolem adorandi cupidinem cepiſſe gentes ſeptentrionales, vt illum, omnium operum creatoris maxime conſpicuum 22), ipſius conditoris atque architecti huius vniuerſi loco, ſummo cultu diuino reueriti ſint 23); *deinde* ſi quis expendit, ita ſtructuratum fuiſſe ſolis idolum 24) quod religioſo honore, ſi fides eſt penes RICHAR-

DVM

17) l. c. Cap. XIII.

18) *Faſt. Danic. L. I. cap. 14.*

19) Proſitetur ille in *deſcriptione Daniae*: „En, quam ſimplex oratio „veritas! Et abſque BEDA fuiſſet, „qui huc vſque ſiniſtra aliorum in- „terpretatione intellectus hac parte „non eſt, hoc egregium antiquitatis „monumentum in obſcuro delituiſſet.

20) in *Inuentario Hiſtor. Eccleſ. Suegoth* Libr. I. Cap. I. p. 57.

21) Libr. II. *de Emend. temp. Giuli*, inquit, „idem eſt, quod *ῥοπιῶν*, quia „tunc ſol in aſtut tempus ſeſſit.

22) Quamquam multi Poctarum *θεοπνεύτων* qui in admiratione operum diuinorum & inprimis ſolis verſati ſunt, elegantiffimis vſi ſunt imaginibus; neminem tamen, quae in ſole conſpicua eſt, magnificentiam ornatiuſ & ſublimiſ pinxiſſe *Dauid* Pf. XIX. 5. 6. 7. iam dudum a Philologis peritiſſimis obſeruatum eſt.

23) IULIUS CAESAR *de Bello Gallico* Lib. VI. Cap. 21. „Germani” inquit, „Deorum numero eos ſolos ducunt, „quos cernunt, & quorum opibus a- „perte iuuantur, SOLEM & Vul-

„cantum & Lunam.” Ita autem MACROBIUS *Saturnal.* Libr. I. cap. 17. p. 236. „Quod omnes paene Deos, „duntaxat, qui ſub coelo ſunt, ad ſolem referant, non noua ſuperſtitio „ſed ratio diuina commendat. Si enim ſol, vt veteribus placuit, dux „& moderator eſt luminum reliquorum, & ſolus ſtellis errantibus praestat; ipſarum vero ſtellarum curſus „ordinem rerum humanarum, vt quibusdam videtur, pro poteſtate diſponunt: neceſſe eſt, vt ſolem, qui „moderatur noſtra moderantes, omnium, quae circa nos geruntur, fateamur auctorem.” Adde, qui de ſolem, pro Deo, colendi ratione ſuſius diſputarunt, THOMAM HYDE in libro *de Religione perſarum* Cap. XIX. p. 236. IOH. GERH. VOSSIVM Lib. II. *Theol. Genr.* Cap. 2, 28, 37, 64. nec non alibi praeterea, PHILIPPVM CLVVERVM *Antiq. Germ.* Cap. XXIX.

24) Illud typis exſcriptum exhibet TROGILLVS ARNKIEL in libro: *Cimbrische Heyden Religion* ad p. 73.



DVM VERSTEGANVM 25), quouis septimo ex eorum computandi ratione 26) hebdomadis die aggressi sunt Saxones Cimbrici alique, ut in medio pectore rotam fibrantem & circumquaque flammis radiantibus cinctam intueri licerit; *denique* si quis recordatur, Graecos 27) & Romanos 28) & omnes gentes, quarum memoria innotuit 29), istud anni tempus, in quod otia *Iulia* incidisse, mox demonstrabimus, singulari festiuitate & cultu eximium habuisse: facile intelliget, idcirco otia *Iulia* dicta esse *rotae* festum, quia illo temporis spatio, continuis feriis ludis & gaudiis transacto, sol *rotae* instar ratos suos cursus ab oriente versus occasum denuo instituere credebatur.

SED paullo difficilior est locus, qui in tempore, quo otia *Iulia* celebrata olim sunt, accuratius definiendo, positus est. De hoc autem *primum* illud quaeritur, quo mundi anno orta illa, primumque instituta sint; quod quidem ex ipsa disputatione superiori cognosci debet. Nam, quum OTHINVS omnem Saxoniam, Gothlandiam, Sueciam, Noruegiam ad cultus *sibi* & *Thoro* filio *Freyae*que uxori pendendi studium concitasse fertur; credi potest, festiuitatis *Iuliae* ante aduentum OTHINI ex Asiae confinibus 30) etli nomen innotuerit, tamen sollempnia otia, quae ad recolendam *Freyae* memoriam instituta dicun-

25) *Antiquit. Anglic.* cap. 3.

26) Cimbris Gothisque diem lunae fuisse in ordine dierum primum, perhibet praeter HELVAD. Libr. III. *Encolp.* p. 263. WORMIVS Libr. I. *Fast. Danic.* cap. 15.

27) Vide PETAVIVM *Doctr. temporum* Libr. I. cap. 10.

28) OVIDIVS *Fast.* Libr. I. v. 163, 64.

Bruma noui prima est, veterisque nouissima solis

Principium capiunt Phoebus & annus idem

29) In demonstranda hac re elaborauit olim BAVMGARTENIVS in Progr. *de sollempniis Christo nato sacrorum originibus* & nuper VERNSDORFFIVS in Programmate, quod supra excitauimus.

30) De OTHINI patria primaque sede collegit multa ARNKIELIVS l. c. p. 58. sqq.





dicuntur, fuisse ignota. Quo autem anno regiones Europae septentrionalis petierit OTHINVS, quum obscurum sit, minimeque exploratum; horum otiorum originem neque temporibus Alexandri M. 31) neque aeuo 32), quo per occasionem belli Mithridatici, vt verbis vtar FLORI, Pompeio duce populus Romanus, totam, qua latissima est, Asiam peruagatus, quam extremam habebat, prouinciam, mediam fecit, tribuere audemus.

ALTERVM, quod hoc loco quaeritur, illud est: quo anni tempore otia & sollemnia *Iulia* celebrata sint. Tres autem sunt in constituenda hac quaestione sententiae diuersae. Primum enim PONTANVS in *observationibus ad Saxonem* allatis non dubitat initia huius festiuitatis ad XXV. Dec. referre, quo sollemnia Natalis D. N. I. C. celebrare incipimus. Deinde sunt, qui cum GUDMUNDO ANDREAE 33) festum *Iuel* mense Ianuario celebratum esse perhibeant. Omnium autem auctoritatem, si SPERLINGII 34) iudicium sequi licet, longe superat *Olafs Saga* 35), ex quo, *principale & capitale sacrificium debere esse Mense Goi*, cognouimus. Nam quum affirmet 36), apud Septentrionales annum fuisse omnem diuisum in partes quatuor, quarum vnam *aestatem* mense *Mai*o incipiebant nouo festo, aliam *autumnum* Mense *Augusto* nouo iterum festo, tertiam *hyemem primam* Mense *Novembri* aequae nouo festo ac quartam, *hyemem mediam* mense *Februario* celebri & sollemni illo festo *Iuel*, renouatunque atque  
auspi-

31) Quae de hac periodo defenderit SNORO STURLESONIUS vide in *Chron. Norueg.* P. I. Num. I. p. 4 seqq.

32) Ita placet IOH. GEORG. ABEGCARD in dissert. *de usu & praestantia Sindi* etymol. in *Histor.* p. 21.

33) in *Lexico Islandico* sub voce *Iöl*.

34) l. c. p. 36. 37.

35) Cap. LXIX.

36) l. c. p. 34.





suspiciatum hac ipsa tempestate 37) qua sol dies reddit longiores, gra-  
toribusque radiis arridet terram: facile intelligi posse, existimauit, fe-  
stum illud, in quo totius anni circumuolutio incepisse credebatur, eo  
sollemnius atque lautius esse celebratum. Ad recitanda verba ex *Chron.*  
*Norueg.* STURLESONII 38) progreditur SPERLINGIVS, quum  
talia ea esse intellexit, quae sententiam suam egregie confirment.  
Narratur enim, *Haquinum Adelftanum*, qui ante regnum initum Chri-  
stianae Religioni in Anglia initiatus fuit, quam postea rebellionis me-  
tu quum palam profiteri non auderet 39), lege sanciuisset, vt Norue-  
gi commestrationes *Iulias* eo tempore celebrarent, quo Christiani na-  
talem Domini sollemnem habuerunt. Equidem vero *primum* non nego,  
Haquini mandato Noruegos obstrictos esse, vt quotannis a die XXV.  
Dec. celebrarent in illoque tempore finirent festum *Inel*; sed omnibus,  
quibus otia *Iulia* religioni fuerunt, communem legem sancitam esse,  
aut sanciri potuisse, id ego non existimo. *Deinde* sine omni dubi-  
tatione aut erroris metu crederem, mense *Goi*, qui Febuario nostro  
respondet, sollemnia *Iulia* esse celebrata, nisi noctem eam, quae d.  
XXV. Dec. antecedit, sequentes totius anni dies noctesque produxisse  
credebatur 40). *Denique*, vt nihil dicam de vario anni computo, plebs,  
otio-

37) Quam diuersi olim in auspi-  
cando anno diuersarum gentium mo-  
res fuerint, praeter alios RIBERIVS  
docuit in *Ephemerid. erud.* Tom. II.  
p. 144.

38) p. 214.

39) Regis huius merita in rem sa-  
cram magna fuisse, successus vero la-  
borum infelicissimos, exposuit ARN-  
KIELIVS in libro: *Cimbrische Hey-  
den-Bekehrung* p. 291. sqq.

40) De hac nocte, *Modra nest* di-

eta, quum multi multa, tum nemo,  
si recte quidem meminimus, accura-  
tius rem definiuit IOS. SCALIGERO  
*de Emend. temp.* Libr. II. p. 170.  
*υπορομντορα*. quasi illa esset parens  
Et princeps omnium reliquarum no-  
ctium vixit a qua caput anni ciuilit  
sumeretur. Adde, quae commemorat  
CAESAR de bello Gallico Libr. VI.  
Cap. 18. MACROBIVS Saturn. Libr.  
I. Cap. 21. THOMAS HYDE de Reli-  
gione Persarum Cap. XIX. p. 236.





otiorum celebrandorum, faciendorumque sacrorum cupidine ducta, iusto plures dies videtur sollempniis *Iuliis* consecrasse, ut ideo superiorum mandato ad labores reuocaretur.

TERTIA huius loci quaestio est de finibus horum otiorum, numeroque dierum *Iolensum* facillime expedienda, si & veteris Calendarii Runici particulam, quam VERELIVS in notis suis ad librum: *Hervarar Saga* 41) produxit, consulas, & scias, quae ex RVDBERCKIO recenset TENZELIVS 42), & memor sis vulgaris illius Rhythmi: *knut koerer Iulen vt*, quod est, interprete VERELIO 43): *Dies Canuti*, qui in d. XIII. Ian. incidit, *genialibus diebus faem imponit*.

QVODS I nunc industriam meam eo dirigerem, ut ad definendas causas & rationes otiorum *Iuliorum* collimarem & descenderem; Iliada post Homerum scribere viderer & post tam largam commentatorum interpretumque segetem eandem toties repetitam rem denno decantare. Nam quod ex BEDA 44), PROCOPIO 45), WORMIO 46), CLYVERO 47) pariter atque ex illo Islandorum: *qui XX noctes Iulias vixit XX annos aetatis* constat, inter Septentrionales annum ab illo tempore inchoatum esse, quo nox longissima, breuissimus esse dies

41) p. 56.

42) in den monatlichen Unterredungen Ann. 1690. m. Mai, p. 458.  
 „Wenn die Sonne wiederkam, empfingen sie selbige mit Opfern, Spielen und andern Festuitaeten, welche so tief eingewurzelt, das sie bey Annehmung des Christenthums nicht gaenzlich abgeschafft werden konnten; sondern so viel ihrer nicht eine oeffentliche Abgoetterey in sich hielten, auf das Weyhnachts-Fest trans-

„ferirt worden, und noch heut zu Tage durch ganz Schweden gebräuchlich sind. Die alten Heyden satzten vor ihre Haeuser zweene Tannenbaeume, creuzweise über einander und fraßen und löffen 19 Tage lang.

43) l. c. p. 56.

44) l. c. Cap. XVII.

45) *de bello Gorb.* Libr. II. p. 44t.

46) *Fest. Danic.* Libr. II. cap. 9.

47) *Geru. Antiq.* Libr. I. cap. 33.





dies cernitur, hoc sua quidem luce radiat, nec, ut prolixius probe-  
tur, Oedipo opus est. Illud tamen omitti non potest, FREYAE 48),  
quoniam Dea colebatur, quae hominibus pacem omnemque annonae  
matrimoniorumque prosperitatem dare credebatur 49), hos dies fuisse  
sacros 50).

REEDIT igitur oratio nostra ad ipsos horum dierum sollempnitates.  
Dicenda autem *duobus* capitibus inuoluamus, quorum *alterum*, ritus  
religionis causa peractos exponet, *alterum*, quae exhilarandi animi  
causa susceperunt veteres fictitiarum diuinitatum cultores, enarrabit.

IN gaudia & festiuitates noctis, quam dies XXV. Dec. insequi-  
tur, *Modra noct*, de qua WALTHERVS nuper singulari libello satis  
fuse egit, initio huius dissertationunculae partis inquirentes, dubitatio  
quaedam cepit, vtrum propter religionem, an solius luxuriei causa  
lautis hilaribusque vigiliis tracta illa sit. Quamuis autem rem accura-  
tius examinantes facile admittamus, noctem illam effusissimis laetitias  
& lautissimis epulis & comotationibus non caruisse; nihilo minus ta-  
men nixi clarissimis doctorum veteris Ecclesiae estatis existimamus,  
eandem *matrem noctium* 51) religionis aut superstitionis potius causa cele-

48) FREYA quum formae venusta-  
te, omnibusque sexus sui virtutibus at-  
que ornamentis illustris esse dicitur,  
sui nominis titulum in alias virtute  
aut generis splendore nobiles matro-  
nas deriuatum voluit. Vide WORMI-  
VM monument. Danic. Libr. I. Cap.  
IV. p. 11.

49) Vide praeter ADAMVM BRE-  
MENSEM de situ Daniae & Reg. Sep-  
tentr. p. 143. seqq. & IOH. MAGNUM  
Lib. I. Cap. 9. SNORO Part. I. Chron.  
Norueg. Num. 4. p. 10.

50) Vide praeter auctores a SPER-

LINGIO l. c. & ELVIO in diss. de  
festo Iuliorum dictos ARNKIELIUM  
in libro: *Cimbrische Heyden-Religione*  
p. 155. sqq.

51) Quod de Germanis TACITVS:  
*Non dierum numerum, ut nos, sed no-*  
*ctium computant; & de Gallis CAE-*  
*SAR l. c. Spatia omnis temporis non*  
*numero dierum, sed noctium definiunt.*  
*Et dies natales Et mensium Et anno-*  
*rum initia sic obseruant, ut noctium*  
*dies subsequatur; idem de Danis, Sa-*  
*xonibus & Anglis narrat LOGCENIUS*  
l. c. p. 24.





celebratam esse. Licet enim ex illis AVGVSTINI 52) locis, quibus magnam hanc sententiam probandi vim inesse ELVIVS putavit, nihil, si quid iudico, fluat; quippe qui non solum in ea terrarum regione docuit, in qua cultus religiosus nocte peractus, si recte quidem memini, omnium minime a Gentilium insania originem duxit, sed etiam talibus verbis vitur, quae, sollemnia horum otiorum nocturna ne in mentem quidem & cogitationem venire, patiuntur: BONIFACIVM tamen post tot gentes Germaniae superstitionis vinculis solvendi conamina laboresque pro CHRISTO susceptos, huius loci est, ut audiamus conquerentem: *in illa nocte eos paganorum consuetudine choros ducere per plateas, & acclamationis ritu Gentilium & caniones sacrilegas celebrare, & mensas illa nocte dapibus onerare. Quum ad festum vel honestandum & splendidum reddendum varii sacri & sollemnes ritus introducti sint, tum nullus sollemnior sanctiorque habitus est, quam ille, qui in mactatione & immolatione verris positus fuit. In eo enim toti erant maiores nostri & quicumque terras boreales olim incoluerunt, ut THORVM propitium facturi mactarent non pecora & armenta solum, sed, quod dictu est horrendum, adeo homines 53), OTHINO immolarent boves & equos 54), siue offerrent FREYAE 55). Sed, ut propius ad sacrificium FREYAE*

obla-

52) Praeter locum p. x. adductum huc referuntur verba ex Tom. V. p. 616: ipse dies, a quo deinceps incrementum lucis accipit dies, opus Christi significat, — aeterno quippe creatori in tempore creato ille dies debuit esse naturalis, cui creatura congrueret temporalis; & p. 624: inde est, quod hodie natus est, quo die minor dies nullus in terris, a quo tamen incrementa dies sumunt. Qui ergo inclinatus est, &

nos erexit, minimum elegit diem, sed unde lux crevit.

53) Vide GEVSIVM Part. I. *Vid.* Hum. cap. XVIII. & CLVVERVM Libr. I. *Germ. Antiq.* Cap. XXXV.

54) Vide STVRLESONIUM l. c. Num. 28. p. 30.

55) Vide quae BANGIVS Libr. II. *Hist. Eccles. Sueo-Goth.* Cap. XV. hac de re exposuit,



oblatum perueniamus, omnes a luce veri coelestis auctos, victimarumque offerendarum cupidine ductos hoc habuisse commune, ut numinibus, quibus se agrorum fertilitatem, messis felicitatem, anno-naeque ubertatem debere, sibi persuaserunt, qualia esse Sylvanus, Cybele, Rheâ cum aliis nonnullis habebantur, verres & fues obtulisse 56), intelleximus. Nec defuit huic sacrificio hominum frequentia. Statuto enim tempore ingenti eorum, qui per annum hunc, quem ordiuntur, cum iudiciis, tum rebus suis omnibus prosperum felicemque euentum exoptant 57), numero confluyente, ex eodem cornu sacro, ex quo libatio prima facta est 58), funduntur guttulae 59) in caput verris fronde querneâ coronati 60). Super ferta verris pars vota facit, pars iuramentis, ut religiosissima ea esse videantur, se obstringit 61). Deinde victimae percussae 62) sanguis excipitur 63) & quoniam hostia *animalis*, non eius generis fuit, quod in *consultatoriis* positum est 64), sine praeuia intestinorum inspectione 65) caput cum parte carnis 66), recitatis nonnullis precationis formulis, igne sacro, quod

56) Vid. ROSINVS Libr. III. *Anziquit.* cap. 33. NATALIS COMES Libr. I. *Myth.* cap. 17. alii.

57) Vid. SCHEFFER. *Vpsal.* Cap. XVI. p. 301. seqq.

58) De variis libationum ritibus egit imprimis SAUBERTVS *de sacrific.* Cap. XXV.

59) Vid. STRELOV. in *Cbron. Gothland.* p. 12.

60) Quercum Germanis nostris olim fuisse sacrum, docet SCHEDIVS *de Diis Germ.* Cap. 29.

61) Vid. CHRIST. ARNOLD. *de Diis Saxonum* p. 13. & 52.

62) Victimae antequam cultris in-

gulabantur percutiebantur, securi. Vid. DVDO Libr. I. *Histor. Norm.*

63) Sanguine excepto vario modo vsi sunt Veteres, quod praeter STVELESONIVM l. c. p. 75. & SCHEFFERVUM l. c. p. 139. seqq. exposuit WORMIVS *Monument. Danic.* p. 17. & 28.

64) De duplici hoc hostiarum genere plura commemorat MACROBIVS Libr. III. *Saturnal.* Cap. 5.

65) Disputat STRABO Libr. IV. p. 264. de ritu ex intestinis futura praedicendi.

66) Vide ADAMVM BREMENSEM *de situ Daniae* p. 144.





quod in altari ligno quercuo alebatur 67), inter votiuos videntium applausus 68), atque cymbalorum aliorumque instrumentorum strepitus 96) crematur. Neque in hoc sacrificio tantum, verum etiam in τῶ τὸ ἐιδωλόθυτον ἐσθίειν, religio horum populorum conspicua fuit. Constituerunt enim duodecim viros 70), quos quoniam oportebat lauta conuiuia sacra parare, Romani dixissent *epulones* 71). Adfertur omnis generis caro 72), & inprimis hostiae quantum supererat FREYAE non immolatae. Obambulat scyphus in honorem THORII & OTHINI FREYAEque propinandus 73). Largis haustibus, vt Diis placeant, se onerant 74), instaurantque choros atque saltando se exercent 75).

HIS ita expositis & idoneis testibus probatis, exhibeamus descriptionem quandam rituum ciuiliu tempore horum otiorum maxime vsitatorum. *Feriarum, festorumque dierum rationem in liberis requiem habere litium, in seruis operum & laborum*, non solum CICE-RO legem illam XII. Tab. *Feris iurgia amouento* explicaturus iudicauit; sed gentes etiam septentrionales suo exemplo comprobauerunt. Ius non dicebatur, filebant arma,

Luce sacra requiescat humus, requiescat arator,

Et graue suspenso vomere cesset opus.

Sol-

67) Vide ROSINVM I. c.

68) Vide ADAMVM BREMENSEM I. c.

69) Hanc rem affirmat OLAVS M. Libr. III. Cap. 18.

70) Vid. SNORO I. c. p. 240.

71) Vid. FENESTELLA Libr. I. *de Sacerdot. Rom.* Cap. 14

72) Vid. SNORO I. c. p. 75.

& 77.

73) Vid. SCHEFFERS in *Vpsalia* Cap. X. pag. 144. 145. BANGIVS I. c. Libr. VI. Cap. 16. WORMIVS Libr. I. *Monument. Danic.* Cap. 5.

74) Vide OLAVM M. Libr. XIII. Cap. 25.

75) Vid. SAXO I. c. p. 104.





Soluite vincla iugis, nunc ad praesepia debent

Plena coronato stare boues capite.

Omnia sint operata Deo, non audeat vlla

Lanificas pensis imposuisse manus.

Quantum autem commodi ex opinione vulgi ad matrimonia his otis Deae, generationi atque paci & concordiae praesidenti 76), sacris contracta iuuanda, stabilienda, beanda & fortunanda ex cultu FREYAE rite praestito redundauerit, vt a plurimis nuptiae in hos ipsos dies *Iulios* constituerentur, de eo vix ac ne vix quidem se plenius exponere ac praedicare posse, fatentur omnes, qui historiam Daniae Sueciae aliarumque regionum septentrionalium narrarunt. Caetera vt versibus cuiusdam ex familia Christianorum commemorem:

Post caesis Iani tribuuntur dona Calendis

Atque etiam sirenae caris mittuntur amicis;

Coniugibusque viri donant, gnatisque parentes,

Et domini famulis, anni felixque precantur

Principium, gentis pagano more togatae.

Debita nemo petit totis his octo diebus

Selectisque onerant dapibus mensamque focumque

Paneque vescuntur miro, magnisque placentis.

Ludunt, comptant, ineunt conuiuia lacti,

Vt si fortassis coepto moriantur in anno

Se tamen explerint prius, antiquamque nouarint

Hoc modo amicitiam.

QUAMVIS pauci dies festi celebrati institutique sint a primis Christi-  
anae Religionis confessoribus, sequenti tamen tempore inde a Saecu-

76) Vid. SNORO I. c. p. 10. OLAVS M. Lib. III, Cap. 3.





lo V. magis numerum eorum & fere in immensum auctum esse, constat. - Duplex autem fuit huius institutionis ratio; altera, vt possint animos hominum superstitioni ritibusque profanis Gentium adsueto- rum dierum, quos olim in honorem fictitiarum diuinitatum otio & prauis voluptatum illecebris consecrarunt, mutatione 77) ad cultum veri numinis diuinique Redemptoris ducere; altera, vt signis Religi- onis & pietatis externis quantum verae Religioni & pietati hac aetate variis de causis detrahebatur, accessisse videatur. Idem festo *Iulii*, aut si mauis, *solis inuicti* accidisse, vt in diem natalem Iesu Domini mu- taretur, diu iam exposuerunt BAVMGARTENIVS & WERN- SDORFIVS, confirmarique potest ex Regis Haquini Adelsani man- dato; neque iniuria ei accidisse puto. Quodsi BVGENHAGENIO hoc laudi tribuitur, quod festum translationis Bibliorum ex fontibus in linguam Germanicam quotannis celebrauerit 78); si in insulae Pharo ciuibus & incolis nonnullis, se diem illum, quo versio τωϞ LXX in lu- cem prodiit, pie religioseque excepisse, laudatur 79); equis est, qui vitio Christianis vertat, quod diem, quo salutis generis humani condi- tor & reparator, diuina scilicet propter aeternam generationem pro- genes, alto coelo demissa, prodiit in lucem, in festiuitatem publi- cam decreuerunt? *Abolitis autem gentilium sacrorum & com- messationum istarum abominationibus, in nomine ipso Iulii nihil impietatis inesse existimarunt maiores nostri, quin illud recte isti festiuitati & hilaritati adhiberetur, quam longe alia de causa*

77) Per hunc modum diem Purifi- cationis Mariae festumque Cathedrae Petri ortum esse praeter multos alios dies festos, quincit RVDOLPHVS HOS- PINIANVS de *festis Christianorum*. p. 40. 48. &c.

78) Vid. MELCH. ADAMI in *vi- ta Bugenbagii* p. 318. & MAYERVS de *versione Germ. Lutheri* p. 77.

79) Vid. PHILO Libr. II. de *vita Moysi*.





*caussa ac occurrati antecessores ipsorum in natali Domini ac Seruatoris nostri agitabant: verba sunt VERELII 80). Vtinam ex his sollempniis Iulii praeter nomen nihil sumissent maiores nostri sacris Christianis initiati, vt haec deliberatio difficillima esset, quasnam superstitionis maculas ex sollempniis Iulii ad festiuitatem natalis CHRISTI translatas putaremus. Nunc vero quum constet, Ecclesiae doctores de ethnicae vetustatis reliquiis in festo natiuitatis conspicuis, omni tempore Christianos acutissime exagitate 81); quum libri eruditissimorum virorum delati ad nos sint, in quibus exitiofarum opinionum & absurdissimarum caerimoniarum hoc tempore peractarum proscripta monstra collegerunt 82): quae res est, quae cuiusquam animum in hac caussa dubium facere possit? Haec vero omnia cum reliquis, quae BONIFACII locum lucem maiorem affundere videntur, praetermittenda sunt & silentio inuoluenda, vt possim cum decentissima grati animi testificatione pro vita & incolumitate MAGNIFICI HAECKSII, Patriae Patris illustris, optimi studiorum meorum nutritoris, seria & calida nuncupare vota, quae numen supremum rati habeat, sineque coronet felici!*



Cvi

80) l. c. p. 56.

81) Vide loca Patrum collecta & excitata ab ARNOLDO in libro: *wahre Abbildung der ersten Christen*. edito a BAUMGARTENIO 1740. p. 201. seqq.

82) Innuo praeter celeb. GE. CHR. HAMBERGERI rituum, quos *Romana Ecclesia a maioribus suis gentili-*

*bus in sua sacra transtulit, enarrationem* p. 29. fqq. CHR. WINDVOGELII *Chronoscop. leg. Exercit. VI. de eo, quod instum est circa festum natiuit. I. C. p. 307* IOH. PRAETORII librum: *Weyhnachts-Frazzen* Lipsiae 1663. editum, ALOYSII NOVARINI *Schediasm. sacr. prof. Libr. V. Cap. I.*






CVI autem vnaquam maior virium & valetudinis integræ felicitas piis precibus a DEO expetenda est, quam TIBI, CONSVL MAGNIFICE ET ILLVSTRIS! qui omnibus fere commodis & vitæ deliciis sepositis totum TVVM consulatum in Republica Lubecensi, vt facis, sapienter administranda debuisti, in scientiarum studiis sustentandis & promouendis voluisti collocare? Faxit igitur DEVS — optima vota paucis verbis complectar — vt tantum prosperitatis fortunæque in TE TVAMque familiam redundet, quantum multitudo TVORVM in rem omnem publicam, litterariam, sacram meritorum, virtutum TVARVM imago, mentisque TVAE forma præstantissima requirere videntur. TE vero, florente Republica, TVIS consiliis, curis, vigiliis, laboribus exornata, florente Senatu, TVA dignitate amplificato, florente in hoc inprimis RODDIANI NOMINIS gloria, quæ, quum non vulgaris sit, & vbiuis obuia, sed maximis tantummodo ingeniis insita & connata, hanc certissimam spem meam alit, fore, vt tanto Musarum præside, sacrarum litterarum studia, licet toto orbe exularent, apud TE & nobilissimum prudentissimumque RODDIUM tamen tutum quietis perfugium sint repertura; saluo sacro ordine, cui tam diu fama fidei intaminatæ, TVA voluntate aucta, perflabit, dum Theologi CARPZOVIORVM RICHERZIORVMque vestigia prementes illi, vt fieri solet, adscribuntur, saluo Athenæo Lubecensi, cuius salus, dignitas, splendor TVA prudentia firmatur, mercatoribus civibusque singulis salvis, saluam TE & incolumem atque fortunatum ad supremam humanæ conditionis senectutem vt transferat, TE familiam TVAM honoratissimam omni felicitatis genere efflorescentem lætis diu oculis intueri sinat, TE seruum ad otia cœlestia perducatur, ardentissimis semper precibus  
 a DEO O. M. deprecam.

+2379828

M.C.





Q. K. 100, 14

II h  
945

SACRI ROMANI IMPERII  
INCLYTAE LIBERAEQVE  
REIPUBLICAE LVBECENSIS  
CONSVLVM PRINCIPI  
MAGNIFICO ET ILLVSTRI DOMINO  
DOMINO  
DANIELI HAECKS  
IVRIS VTRIVSQVE DOCTORI CELEBERRIMO  
AVSPICIA NOVI HVIVS ANNI  
OBSERVANTISSIME GRATVLATVR  
PROLVDENDIQVE CAVSSA  
VERBA QVAEDAM BONIFACII  
OTIA IVLIA  
INNVENTIA  
ILLVSTRAT

CHRISTIANVS PETRVS POLCHOW  
REPENTIS REGII THEOL. MVNERE IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA  
FVNGENS ET SOCIETATIS TEVTON. HELMSTADIENSIS  
COLLEGA.

GOETTINGAE

EX OFFICINA SCHVLTZIANA, CVR. F. A. ROSENVSCH.  
CAL. IAN. 1767.

